



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. Quae damna sequantur ex acedia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

est perturbatio in Ecclesia & tristis facies, ex nulla alia causa venit, quam ex negligentia & acedia Rectorum, Episcoporum & Principum, qui politias regunt, Mat. 13, cum dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminauit zizania in medio tritici. Nam quandò officia commissa negliguntur, & alia curantur quae non pertinent ad officium nostrum, sit ut in varia vita incidamus. Dauid, ipso tempore cum reges ad bella procedere oportebat, desidiosus in domo sua mansit, & in graue adulterium incidit, imo & homicidium perpetravit. Vnde enim tot adulteria & libidines in utroq; statu, nisi ex ocio & desidia? Vnde gentilis poëta remedium dans, inquit:

*Ocia si tollas periēre cupidinis arcus.*

*Cedit amor rebus: res age, tutus eris. &c.*

Tertio, varia damna sequuntur hoc peccatum: nam tales desidiosi qui sic torpent in bono aliquo perficiendo, & de die in diem differunt, saepè morte insperata preueniuntur, & illis tempus & vita subtrahitur, quandò dicunt, Cras faciam aliquid boni, cras incipiam me emendare, sed contra hoc est quod veteres in versu dixerunt:

*Noli per cras cras, longas tibi ponere metas.*

*Qui non est hodie, cras minus aptus erit.*

Vnde Christus ad quendam qui dicebat: Domine, permitte me prius sepelire patrem, & sequar te: respōdit, Sequere me, & sine mortuos sepelire mortuos suos: mortuos, id est, infideles, vt notatur Ioan. 5. Venit hora & nunc est, vt mortui, id est, infideles audiant vocem, id est, Euangeliū filij Dei: & qui audierint, id est, crediderint, viuent æternaliter. Sic neminem à fide Christiana impedire debet vel mater, vel pater, vel soror, &c. Sic Christus increpauit Petrum, qui retrospiciebat & quarebat de Ioanne Euangeliſta dicens: Domine, hic autē quid? Christus respōdit, Quid

Quid ad te? tu me sequere, id est, Nihil te retardet vel impedit, quin me sequaris. Vnde validè periculorum est, bona quæ in aī cōcepimus, de die differre in diē. Sæpè enim illos cita mors præuenit. quare dicitur Eccl. 5. Ne tardes conuerti ad Dominū, & ne differas de die in diem. subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Vnde Augusti. 8. Confess. Quām diu crās? & cur non modò? quarè nō ex hac hora finis torporis mei? Admonet igitur Apostolus Gal. cap. 6. vt vitent hoc vitium acediæ, dicens: Bonū facientes, nō deficiamus: ergo dum tempus habemus, operemur bonum &c. Incitat quoq; nos ad vietandum hoc vitiū promissio præmij, i. Cor. 3. & Mat. 19. Centuplum accipiet, etiam in hac vita. Hoc est tellum Sathanæ, quo vulnerat multos, qui putant & dicunt, quod nullum sit meritum bonorum operum; cum tamen Christus passionis suæ merito Spiritū & gratiam operandi bonum nobis metuit, & facit opera nostra accepta & meritoria: & circa hoc multi extiderunt à merito, & apostatarunt ex monasterijs, & alijs sua merita inuidenterunt, vt inquit Ambrosius lib. 10. Epist. 82. Quarè audiamus saluatorem nostrum;

qui nos monet contra hoc peccatum acediæ;

Vigilate, quia nescitis qua hora D O M I-

N V S venturus sit, Matthæi 24.

(.: Lucæ 12. .:.)

F I N I S

C A T E C H I S M I

O O 2

ARGU-